



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

I. Res nulla Deo indigna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

donec Blossius longè diutiùs solitò abesse miratus, ultrò adivit, sciscitatúsque est, quid sibi vellet tam diuturna absentia. At ille : quod enim, inquit, ex te documentum altius, fæcundiùsque, & magis inexhaustum accipiam, quàm ut cum rebus omnibus creatis ambulem coram Deo, in ejus voluntate defixus, & ad ejus manum atque impulsum semper intentus?

SECTIO SECUNDA.

Alterum fundamentum :

*A Providentia Divina res etiam minimas,
& fortuitas, curari.*

I. Res nulla
Deo indi-
gna. **I**Ndignè de Deo sensère Infideles illi apud Minutium Fælicem in Octavio, qui extorqueute veritatis testimonium naturâ, Providentiam Divinam universo præsidere fassi, indignam ejus sollicitudine rerum minutarum sollicitudinem existimabant. Sed si indecora Deo non fuit vel minimorum creatio, cura etiam de minimis.

mis illum non dedecuit. Si tam vile & exiguum animalculum plantulave non est, in cuius dissectione ac partibus potentia & sapientia creatoris non sit admirationi: neque ullum est, in cuius conservatione benignitas & cura non elucescat. Eiusdem enim mentis est, producere quæ antè non fuerunt, & productis consulere. Et quomodò nihil tam contemptum est, ut alium totius sui auctorem habere, quàm Deum, potuerit: ita nec tam abjectum est, ut illum conservatorem, dispensatorémve habere non mereatur. Ad curam singulorum Deum trahit Bonitas sua, & rerum Pulchritudo.

II. *Quantumvis exigua & vilis.* Ille scilicet nobis Deus est, ut Seneca loquitur libro 4. de Beneficiis, non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiva substituit. Ille Deus est, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum: Psalmo 146. Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus; Sapient. 6. Sine illo
unus